



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Cap. XIII. Solutio difficultatis cuiusdam gravioris petitæ ex Synodi Aquensis  
excerpto, circa Obligationem servandi Decreta Conciliorum Generalium  
nondum juridicè in partibus promulgatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

ciam; quia non appareat Concilium 1. Rhemensis an. 1564. Concilium Tolosanum an. 1590. & 2. Burdigalense an. 1624. Decreta sua Romanis misisse, ad imprestandam confirmationem Romanam. Concilia hæc secura sunt morem Concilio Tridentino anteriorem; prius inauditum erat, Concilia Decretorum suorum confirmationem à Sede Apostolica postulare. Equidem, Cardinalis DE JOYEUSE, in Instrumento publicationis Synodi Tolosanae, dicit, Pontificem eam approbavisse; sed nihilominus verum est, nullum referri Actum confirmationis: Pontifex autem illud approbare potuit sine ullo ejus examine, sed sola Cardinalis fāmā motus. Quoad Concilia, quæ confirmationem Pontificiam postulaverunt, quædam decreverunt executionem Statutorum suorum, prīusquam confirmata forent. Talis est præ ceteris Synodus Aquensis, cuius publicatio facta fuit an. 1585. circa Mensē Septembrem, & confirmatione est an. 1586. 5. Maii. Non refert, Litteras circa confirmationem innuerū Synodi Decreta nondum edita esse, ita ut sunt emendata, nec aliter edantur; hoc enim intelligi potest de publicatione per impressionem. Talis etiam videtur Synodus Burdigalensis, cuius publicatio confirmationem præcedit; si autem supponatur, nondum editam fuisse tempore confirmationis, illud restringi potest, ac debet, ad editionem per impressionem. Adjicendum est, quod, si Officiales Pontificii loquuntur de prima publicatione, in eo sequantur pretentionem suam de necessitate confirmationis Conciliorum per Sedem Apostolicam, ut publicari possint. Synodus Rhemensis an. 1587. promulgata fuit 18. Maii 1583. CONC. Tom. XV. pag. 914. & confirmata 20. Julii 1584. ibid. pag. 915. De hacce confirmatione loquitur VAN ESPEN in suplemento Cap. 3. Ejus originem petit ex falsis Decretalibus ejusque probationes adducit, atque circa finem Synodos Mechlinienses an. 1570. & 1607. petiſſe confirmationem suorum Decretorum eaque emendata fuisse, sed executioni mandata fuisse, prout facta erant à Conciliis, non autem prout emendata fuerant.

## CAPUT XIII.

*Solutio difficultatis cujusdam gravioris petite ex Synodi Aquensis Excerpto, circa obligationem servandi Decreta Conciliorum Generalium nondum juridice in Partibus promulgatorum.*

**I**N Excerpto Synodi Aquensis diximus, eam testari, se optavisse, ut Concilium Tridentinum in Regno publicatum fuisset, ac deliberavisse, ut enī supplicaretur Rex, ut illud publicandi licentiam concederet; tūm adjurare, quod interea singuli Episcopi omnia ordinare in suā Diocesis, juxta illius Decreta, deberent ad conscientię suę exonerationem: Tūm quod ipsi Episcopi, in suā quisque Diocesi, pro suę conscientię exoneratione, omnia, quod ejus fieri potest, ad ipsius Concilii Decretorum Prescriptum, dirigant & moderentur. Synodus igitur supponere videtur, Episcoporum conscientiam astringi ad procurandam observationem Decretorum Conciliorum Generalium, prīusquam juridice promulgata fuerint cum licentia Regis data per Litteras Patentes debito modo inscriptas in Rationariis Curia. Hæc autem suppositio adversari videtur Regulis & Libertatibus Ecclesia Gallicanæ, juxta quas, Decreta Conciliorum Generalium vñ Legis habere nequeunt in Regno, sicut hec Diplomata Pontificia, nisi debito modo promulgata fuerint; unde sequitur, illa non obligare nisi post hanc publicationem. Ergo, aut erravit Synodus Aquensis, vel aliud est ejus sensus, quām qui primo intuitu appetat. Hæc est difficultas solvenda.

Quod ut fiat, Dico Principium esse, quod ab omnibus agnoscere debet, scilicet Leges non obligare, nisi post sufficientem promulgationem, Cap. 25. de accur-  
s. Cap. I. Sess. xxiv. de Reform. Matrim. Cap. 17.

**DIST. xviii.** Aliud Principium non minus certum est, quod Superiores Inferiores, aut Subalterni publicationem hanc facere nequeant sine assensu Superiorum majorum; cum Leges conditae sunt pro omni districtu Superiorum majorum. v.g. Si agatur de Constitutionibus à Concilio Generali, vel à Pontifice pro omni Ecclesiā factis, deque illarum publicatione in dictione Principum Catholicorum, Episcopi eam facere nequeant sine licentiā Principis; quia illa sèpè habent effectus temporales, quos à Principe accipere debent. Quoad autem spirituales effectus, eos fortiri nequeant, nisi Princeps earum publicationi consentiat; hæc enim reverentia ipsi debetur, quatenus Tutori & Protectori Ecclesiarum ditionis ipsius. Crebro etiam accidit, ut spirituale adeò cum temporali adhæreat, ut Constitutiones factæ, quod spirituale, temporali nocere possint; itaque, Principis interest, ut Constitutiones etiam quod spirituale, non publicentur sine ipsius beneplacito: Ergo Episcopi non possunt obligari ad procurandam observationem Decretorum Conciliorum Generalium, antequam Princeps eorum publicationem permiserit. Nisi hoc factum fuerit, illa vim Legis non habent. Itaque, illa non magis ligant Pastores antē publicationem, quam greges. Unum hoc, cum Princeps differt, aut denegat licentiam publicandi, faciendum Episcopis supereft, Regi supplices monitiones facere, atque interim enī & indeſinenter deprecari Regem Regum, ut illis inspireret consilium, quod gloria & saluti animarum conduceat. Hæc veritas nimis nota est, quām quæ ignorata fuerit à Synodo Aquensi. Laudatus autem locus ipsi non repugnat; nā sensus est, Episcopos, qui propter conscientiam tenentur facere Statuta necessaria bona regimini Diocesanorum, necessitatibus eorum accommodare debere Decreta Conciliorum Generalium, prīusquam illa publicare liceat, horum expressam mentionem non faciendo, tamquam in Regno vigentium. Debent iis uti, quemadmodum uterentur Decretis in Concilio alieno factis, ea, pro ratione, non verò pro Lege spectando.

## CAPUT XIV.

*Peculiaria notabilia circa Publicationem Concilii Tridentini in Galliā, excerpta è Concilis ibi, ad procurandam Decretorum ejus executionem, habitis.*

## CONCILIO NARBONENSE, an. 1551.

**A**NNO 1551. quo Synodus hæc Narbonensis habita est, jām 14. Sessiones Tridentini habita fuerant; nam Decima quarta celebrata fuit 25. Novemb. ejusdem anni; at Synodus Narbonensis auspiciata est 10. Decemb. Sexdecim post diebus, ac tamen hæc nullo modo utitur neque Definitionibus, neque Statutis, quæ fecit Tridentinum, quamvis iisdem agat argumentis, de Prædicatione Parochorum, de Theologis, de Residentia Pastorum, de Sacramentis in genere, de dimissoriis, de Pœnitentiâ, de Eucharistiâ.

Porrò, silentium hoc provenire, saltem, quod partem, videtur, ex eo, quod illarum Sessionum Decreta nondum promulgata erant, atque etiam, quod tempus promulgationis nondum venerat. Nam dici nequit, istud provenire ex eo, quod illa Decreta in Galliā non essent nota; quandoquidem Quinque Episcopi Galli adfuerint Sessionibus habitis sub Paulo III. usque ad an. 1550. nempè Andegavensis, Sagiensis, Verdunensis, Parisiensis, Santonensis. Ex iii autem Sessionibus tres, scilicet 5. 6. 7. de pluribus rebus loquuntur, quas Synodus Narbonensis denō tractavit. Diximus, quod partem, quia silentium illud provenire etiam potest, ex eo, quod in illis Sessionibus neque Legati, sive Oratores Regis Galliarum, neque Theologi ejusdem Nationis interfuerint. Itaque, non deerant rationes habendi pro infectis Decreta quotquot confecta fuerant. Crassè falleretur quisquis silentii, de quo agitur